

*Quod habeo, hoc tibi do:
in nomine Iesu surge et ambula.*

Lectio Actuum Apostolorum

3, 1-10

In diebus illis:

- ¹ Petrus et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.
- ² Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, baiulabatur; quem ponebant cotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciósá, ut peteret eleemósynam ab introeúntibus in templum;
- ³ is cum vidisset Petrum et Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, ut eleemósynam acciperet.
- ⁴ Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit: «Réspice in nos».
- ⁵ At ille intendebat in eos, sperans se aliquid acceptúrum ab eis.
- ⁶ Petrus autem dixit: «Argéntum et aurum non est mihi; quod autem hábeo, hoc tibi do: in nómine Iesu Christi Nazaréni surge et ámbula!».
- ⁷ Et apprehénsa ei manu dextera, allevávit eum; et prótinus consolidátæ sunt bases eius et tali,
- ⁸ et exsíliens stetit et ambulábat; et intrávit cum illis in templum, ámbulans et exsíliens et laudans Deum.
- ⁹ Et vidit omnis pópulus eum ambulántem et laudántem Deum;
- ¹⁰ cognoscébant autem illum quóniam ipse erat, qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi,

et impléti sunt stupóre et éxstasi
in eo, quod contígerat illi.

Verbum Dómini.